

Q.K.  
515  
33

II g  
658

FORMA VETE-  
RIS GYMNASII CVL-  
MENSIS RECENS IN,  
STAVRATI.

AVTORE M. IOANNE HOPPIO  
eiusdem Gymnasij Rectore.



VRATISLAVIÆ IN OFFICINA  
Crispini Scharffenbergij.

ANNO  
M D LIIII.

Mense Julio.

*D. Iohanni Rhodio Zich Parenti suo dulcissimo  
Archigymnastico Schlackenauerensi S. P. D.  
Sumpibus eximijis patre o dulcissime recte  
iunsti studium meum faciente, meum.  
Ut poteram huius Gymnasii ire sub arces  
In quibus exhausti carmina mille miti.  
d. l. hunc patre parvum ergo mittitur horum.*

JOHANNES VON  
STAVRATZ  
REGENS IN  
GAL

JOHANNES VON  
REGENS IN  
GAL

JOHANNES VON  
REGENS IN  
GAL

JOHANNES VON  
REGENS IN  
GAL

REVERENDISSIMO IN CHRIS-  
TO PATRI AC DOMINO, DOMI-  
NO IOANNI, DIVINA PROVIDENTIA  
Episcopo Culmensi, Domino suo be-  
nigno & gratioso, S. D.

**V**T in populo Israëlitico Deus sibi offerri & tra-  
di uoluit omnium nascentium primitias, ut hoc  
ritu testaretur se uerum Deum & dominum esse istius  
populi, & uicissim populus agnosceret se illi Domino  
addictum esse & debere summam obedientiam, qui  
primitias illas reciperet: Ita meritò tuo nomini Reue-  
rendissime ac pientissime Præsul, huius renascentis  
Gymnasij nostri primitias, hoc est, nouam constitu-  
tionem & formam offerimus & dedicamus. Nam  
cum tuo potissimum auspicio, suasu, & consilio, hæc  
uerus Schola per Senatum urbis instaurari ac re-  
nouari coeperit, nihil profecto æquius est, quàm tuæ  
pietati non solum primitias, sed & decimas, & quic-  
quid omnino in ea eximium nascetur aut prodibit,  
consecrare, ut omnis posteritas intelligat & agnoscat,  
tuæ autoritati deberi omnem utilitatem & fructum,  
qui ex hac Schola prouenturus est, & Scholastici eti-  
am pro huius beneficij magnitudine perpetuam tibi  
gratitudinem præstent. Hanc causam iustissimam &  
grauissimam esse duxi, harum primitiarum tuæ pie-  
tati dedicandarum, tametsi, ut ingenue fatear, me il-

A ij lud

Iud etiam non parum eò impulit, quòd non ignoro te  
pro excellenti ingenio & doctrina, optimam de hac  
constitutione & forma Reipublicæ nostræ literariæ,  
censuram facere posse. Itaq; ut me tuo exquisito iudi-  
cio submittere, tuamq; grauissimam censuram subire  
rem, tibi potius quàm cuiuis alijs has primitias nuncu-  
pandas esse censui. Nec dubito tibi consilium nostrum  
in ordinanda et constituenda re Scholastica pro initio  
huius Scholæ, non improbatum iri. Vere enim affir-  
mare possum, in plerisq; me, ipsam rerum magistram,  
experientiam, secutum esse, siquidem multos annos in  
regendis Scholis, & erudienda iuuentute uersatus  
sum, multa uerò me de aliorum etiam doctissimorum  
uirorum iudicio & consilio instituisse. Quare ut hanc  
operam meam pro eximia humanitate & pietate tua  
boni consulas, meq; cum uniuerfa Schola in tuum pa-  
trocinium benigne recipias etiam atq; etiam oro. Be-  
ne & foeliciter uale Reuerendissime Præsul. Culmæ  
XXIX. Maij. Anno M. D. LIIII.

Reuerendis. tuæ  
paternitati

summo studio  
addictus

M. Ioannes Hoppius  
Rector Gymnasij  
Culmensis.

IOANNES CODICIVS AD LI-  
TERARVM STUDIOSOS.

**C**ulmina plerij qui uult ascendere montis,  
Palladis in thalamos & properare sacros.  
Floribus unde sibi fragrantia ferta parentur,  
Illuc ut facili calle subintret iter.  
Nostra Lycaea petens, quae praterit istula fluctu,  
Tendat in Arctos, est ubi C V L M A plagas. *urbs ubi magna*  
Hic citò Castalio tempe conspersa liquore,  
Quosq; rigant κλεινὰ flumina, uiset agros.  
Exiguo discet sudore Palæmonis artem,  
Phœbeum stabili quæ base fulcit opus.  
Ritè Sophistarum soluens Dialectica nodos,  
Hic sibi facundo Rhetore templa dicat.  
Te manet, exornans Vates, diuina Poësis,  
O puer, hæc redimit fronde uirente comas.  
Hac duce Minciaco similis potes esse Poëta,  
Nomine stellati uestus in astra poli.  
Ducêris Latij cultos Ciceronis in hortos,  
Ausonijs uernant hic quoq; prata rosis.  
Ingrediêre chori doctissima castra Pelasgi,  
Quà fouet Ascreus germine pastor oues.  
Exitium Troia patefiet, & error Vlyssis,  
Mœonides Graia quæ grauitate docet.  
Sic & Achiuorum callebis gutture fari,  
Alta, loquar breuiter, laus Helyconis eris.  
Pythagoras quoniam ceu clarus in urbe Crotonis,  
Naturæ, uigili uoce reclusit opes:  
Hoppius, antistes sic pristina tecta Camœnis,  
In nostra reparat mente fideq; Schola.  
Nobilis hunc Samium facit esse Minerva secundum,  
Largiter huic dotes contulit illa suas.  
Hic benè constituit celebri uirtute Lycæum,  
Cætera sint isto, perlege nota libro.  
Concessis igitur uentis huc dirige puppim,  
Alter Abantiades aurea malaferes.

*Thesauros capiens, ut uellus Iasonis, amplos,  
Aonijs figes magna trophæa tholia.*

# FORMA VETE- RIS GYMNASII CVL- MENSIS RECENS IN- STAVRATI.

**V**T omnibus constet ratio Scholę à nobis iam in-  
stauratę, primum exponendum est, quot sint  
personę quibus docendi munus est traditum. Deinde  
quę lectiones in singulis artibus, quęq; exercitia in ea  
habeantur. Postremo, quas leges decreuerimus de  
Scholasticorum disciplina, & de alijs quibusdam re-  
bus Scholasticis religiosę colendis, quo facilius in offi-  
cio retineantur adolescētes nostrę fidei commissi. Hęc,  
inquam, omnia breuiter cōmemoranda sunt, ut & ex-  
teri sciant et Scholastici in conspectu habeant formam  
atq; imaginem nostrę literarię Reipublicę.

## DE NUMERO DOCENTIVM.

**CVM** autem prima cura in constituenda Schola  
esse debeat, ut homines idonei, hoc est, pī, honesti, gra-  
ues, et uerē docti pręficiantur, quorū industria, recta  
studia excitari atq; florere possint, Secunda, ut iustus  
sit numerus docentiū, Senatus huius urbis re diligens-  
ter deliberata, censuit sub initium huius uetusti Gym-  
nasij

nasq̃ instaurandi quinq̃ professores sufficere, eosq̃ ornatos esse uoluit gradu aliquo et testimonio doctrinae, ab aliqua Academia. Singulis uero professoribus de consilio Rectoris, certa docendi officia, pro utilitate discipulorum, disposita & praescripta esse debent.

### QVOD SIT RECTORIS OFFICIUM.

Quinq̃ sunt munera Rectoris propria, quorum primum est ut praesit omnibus, honeste regat & sua prudentia ac grauitate in officio contineat totam Scholam, prouideatq̃ ut omnia rite ab omnibus fiant, nec quidq̃ secus quam oporteat, ab ijs qui Scholasticum nomen gerunt, admittatur. Secundum, ut coetum discipulorum in certos ordines seu classes distribuatur, ut auditores certis circulis conclusi & ueluti gradibus distincti, ordine & citra confusionem, maiori cum fructu doceri possint. Tertium, ut lectiones dispense, earumq̃ tempora singulis assignet, ac mandet unicuiq̃ docentium quod genus autorum iuuentuti proponere & enarrare debeat. Quartum, ut curet declamationes & disputationes haberi & exerceri a Scholasticis, eiusq̃ exercitij ipse supremus sit gubernator & inspector. Quintum & postremum, ut in docendo, auditoribus suam fidem & diligentiam probet, suoque exemplo uniuersam Scholam ad modestiam in omni uita, & ad assiduitatem & maiorem alacritatem in docendo & discendo praestandam, inuitet.

DE

## DE CLASSIBVS CONSTITVENDIS,

deq; certo ordine docentium & discen-  
tium obseruando.

Ipsa re quotidie comperimur optimam institu-  
tionis partem in hoc sitam esse, ut præceptor bonus  
ante omnia classes discientium constituat, in quas  
quemq; pro ætate & ingenij sui captu & facilitate res-  
ferat. Nam cum alius alium partim ingenio, partim  
ætate & doctrinæ profectu antecellat, non possunt nec  
debent ex æquò omnes discentes misceri, multò minus  
omnibus omnia proponi. Quare ut cum ætati & in-  
genijs puerorū, cum studijs tenere ætatis rectius con-  
sulamus, certo ordine doceri iuuentutem in nostra  
Schola operæ precium duximus. Ea q; res plurimum  
conducit adolescentiæ in uniuersa uita, ut adsuefiat à  
teneris ad omnia ordine agenda, quo ut sapienter Xeo-  
nophon scribit, reuera nihil est in uniuersa uita uel  
pulchrius, uel præstantius, uel utilius. Etsi autem dif-  
ficile est, in magno agmine discientium, cum propter  
diuersitatem ingeniorum atq; ætatum, tum etiam  
propter inæqualem profectum eorum, debitum ordi-  
nem præscribere, nec mediocrem prudentiam requirit  
ita temperare docendi rationem ut singulorum inge-  
nys congruat: tamen nos nulla difficultate aut oneris  
magnitudine absteriti, eiusmodi adhibitori sumus  
temperationem, ut & hi prouehantur, qui iam ali-  
quam progressionem fecerunt in literis, & non negli-  
gantur

gantur alij, qui adhuc in primis rudimentis hærent, atq; ita omnibus pariter à nobis satisfiat. Idq; ut faciamus, partim fides atq; officij ratio, partim huius Scholæ publica utilitas & necessitas postulat. Quapropter primum de ijs artibus quæ linguam formant, & omnibus discipulis ex æquo, ueluti fundamenta omnium disciplinarum, necessariæ sunt, pauca dicemus, postea de autoribus qui primæ ac rudiori ætati proponendi sint, nonnihil dicturi.

## DE GRAMMATICA.

PRIMUM omnium est, ut pueri rectè, emendatè, et distinctè legere literas, atq; dictiones aptè, promptè, & cū quadam suaui concinnitate pronunciare sciant. Mox Analogiam discant, hoc est, nomina & uerba declinare, sine quibus nullo modo ad intellectum sequentium peruenire possunt. Deinde Syntaxis proponatur, hoc est, structuræ ratio. Officium autem nostrum est, ut pueros in hac declinandi & coniugandi, construendiq; dictiones exercitatione diu detineamus, earumq; memoriam iterum atq; iterum in ijs rudimentis exerceamus, ac quid et quantum proficiant diligenter ab eis reposcamus. Nam hæc exercitatio, quamuis fastidiosa sit, & ut in re exili & tenui uersans, parum ostentationis habeat, tamen ad cognoscendas superiores artes ac disciplinas uiam sternit, ac plus semper habet in recessu, quemadmodum Quintilianus inquit,

B            quàm

quàm fronte promittat. A literis enim incipit, ex quibus omnes bonæ artes procreatæ sunt. Fridericum primum eius nominis, cognomento Barbarossam, publico edicto cauisse ferunt, ne in Scholis totius Hetruriæ toto decennio pueris aliud proponeretur, quàm Grammatica & Musica. Vidit enim hic Heros procul dubio maxime necessarium esse, ut præceptores tam diu derisneant adolescentes in ipsis Grammatices præceptionibus ac regulis, donec eas exactè et integrè cognouerint atq; perfecti grammatici, architectiq; latini sermonis euaserint, Hoc enim est fundamentum totius opificij literarij, quo non benè & fidehiter posito, quicquid ut Quintilianus inquit, superstruxeris, corruet. Ac sanè præcipuum in literarum studijs est, ut purè, emendatè, & latine loqui discant adolescentes, & ut uerborum, quibus inter loquendum opus est, significationes diligenter exploratas, & in promptu simul habeant autorum exempla, si quid extra Analogiam dicatur, quandoquidem sæpe & uerba & oratio ius ab autoribus sumunt. Hæc si quis in prima ætate neglexerit, is postea quotiescunq; res seriè orationem flagitabunt, tanq; *καὶ ἐν πρῶτον* in Comedijs, nullam uocem edere poterit. Quapropter ne pernecessarium hoc studiū Grammatices in nostra Schola unquam intermittatur, curabimus ut pueris post prima illa atq; uulgaria rudimenta Grammaticæ, præcepta Linacri quoq; proponantur & prælegantur, propterea quod iudicamus uel  
hunc

hunc solum autorem sufficere ad consequendam perfectam huius artis doctrinam, neque quicquam esse hactenus in hoc genere compositum aut editum accuratius, absolutius, atque melius. Sciant autem adolescentes, integras artes cognoscendas esse ijs, qui solidam doctrinam expetunt.

## DE DIALECTICA.

VBI iam recte, hoc est, congruè & latine loquendi rationem imbibierint adolescentes, proximum est ut ordinè, distinctè, & probabiliter de rebus differere discant. Qua in re Dialectica eis usui erit, ut quæ à differendo nomen accepit. Ea enim sola tradit rationem appositè & disertè de qualibet re loquendi, iudicandi, & disputandi. Plato ostensurus hanc artem omnium esse maximam eam *ἡγεμον* appellat, hoc est, fastigium & uerticem omniū artiū & ueluti sepimentum seu ualolum, quo omnes reliquas disciplinas cinctas & munitas esse oporteat. Reuera enim sine huius artis præsidio nemo unquam dicendo uel iudicando excelluit, quantumuis alioqui eruditus, multisque ac uarijs disciplinis munitus atque instructus. Quapropter etiam in hac arte iuventutem nostram diu multumque exercebimus. Dabimusque operam ut huius artis professionem non tantum ex uulgaribus & communissimis præceptis, sed etiam ex Rodolphi Agricolæ, Ioannis B ij Cæsarij,

Cæsarij, Boëtij & Ciceronis libellis, in nostra Schola perpetuo retineamus, ut ipsi adolescentes longo usu & crebris disputationibus uim atq; utilitatem artis penitus perspiciant, & re ipsa experiantur, quantum emolumentum adferat ad superiores disciplinas rectius intelligendas, harum inferiorum artium perfecta ac solida cognitio.

## DE RHETORICA.

CVM uerò Dialectica differendi ratio in angustos orationis terminos conclusa sit, & ita plerūq; fiat, ut ea quæ tam angustè dicuntur, aut citò preterfluant aures & animos auditorum, aut non multum afficiant uel delectent, mox subiungi debet Rhetorica, quæ ut ornatè, splendidè, copiose de qualibet re dicere possimus docet. Continet enim ea ars præcepta de uarietate, splendore, & ubertate orationis, quæ ad explicationem rerum maximarum in uita plurimum utilitatis habet. Curabimus igitur huius quoq; artis doctrinam post communia rudimenta, ex præcipuis libris Ciceronis & Quintiliani enarrari, ut studiosi adolescentes, non tam ex riuulis, quàm ex ipsis fontibus utilissimarum artium cognitionem hauriant.

## BREVIS ADHORTATIO AD ARTIVM DICENDI STVDIVM.

Arctissima

ARctissima est cognatio & affinitas harum trium artium, quas uulgo in Scholis Logicas, propterea quod sermonem et iudicium formant, appellare solent. Nam circa hoc omnes pariter uersantur & hunc finem spectant, ut dicendi facultatem & iudicii subtilitatem adiuuent & instruant. Grammatica enim (ut paucis perstringam) omnium prima prestat ut congruè, emendatè & latine: Dialectica ut disertè, distinctè, & probabiliter: Rhetorica uero ut ornatè, copiosè, & compositè de re proposita loqui possimus. Cum igitur harum artium præceptiones ideo inuentæ sint, ut nos in texenda oratione & formando iudicio adiuuent, quæ præ ceteris omnibus animantibus soli homini ut rationis doctrinæque capaci, diuinitus concessa sunt, eam potissimum ob causam, ut oratione ceu instrumento ea quæ uel suo ingenio peperit, uel ab alijs accepit, commodè explicare, & alios quoque docere possit. Itaque adulescentes qui ad solidam & ueram doctrinam aspirant, has artes magnificere debent, nec eas imperitorum more tanquam pueriles & inutiles nugas contemnere, sed potius sic apud animum statuere, quicquid nunc temporis & operæ his discendis impenderint, id magna fruge multoque cum foenore deinde sibi obuenturum, ubi ad altiora sese contulerint & ad usum uitæ civilis peruenerint. Nam ut in omni uita uetus illud uerissimum est, ἀρχὴ ἡμισυ πάντος. Dimidium facti qui bene coepit habet: ita in his artibus res ipsa ostendit, non tantum di-

B iij midium

midium, sed etiam plus dimidio eum adsecutum esse,  
qui earum præcepta cum mediocri exercitatione per-  
ceperit. Quapropter duxi imprimis hoc loco admo-  
nendam esse nostram iuventutem, ne negligat hæc infe-  
riorum artium studia, quantumvis puerilia & tenuia,  
sed cogitet ea præcipua esse instrumenta, quæ ad maio-  
res disciplinas, quibus Ecclesiæ & rerum pub. admini-  
stratio continetur, animos adolescentum præparant et  
informant. Nec fieri potest ut harum artium præsidio  
non bene muniti uel instructi, assequi saltem aut intel-  
ligere queant ea, quæ ab hominibus doctis & ingenio-  
sis certa ratione ac Methodo tradita sunt et per scripta:  
tantum abest ut ipsi sensa animorum perspicuè expli-  
care, & de rebus grauissimis dextrè ac prudenter dis-  
ferere possint. Nos itaq; quantum autoritate, studio,  
fide, ac diligentia consequi possumus, dabimus ope-  
ram, ut ad harum artium integram & solidam cog-  
nitionem, certo ordine iuuenilis ætas traducatur &  
perueniat.

## DE EXERCITIIS ARTIVM DICEN-

di, & primum de bonorum Autorum

*lectione & imitatione.*

CVM omnium artium præceptiones sine exem-  
plis & exercitatione non modo per se ieiunæ & steriles  
sint, sed etiam nullum fructum atq; adeo plus detri-  
menti quam adiumenti discantibus conferant, ideo ne-  
cessè est in rectè constitutis Scholis, non tantum nuda  
præ-

præcepta tradere, nec in ijs solis adolescentiam deinceps  
re, uerum etiam adhibere exempla ex scriptis probatissi-  
simorum autorum, & discentes ad exercitationem assiduam  
adsuefacere oportet. Ita enim experientur in  
discendis artibus quoque idem esse quod in omnibus alijs  
operibus humanis, quæ usu quotidiano & iugi exerci-  
tatione plurimum proficiunt, & præstantes artifices  
tandem efficiunt. Sicut Ouidius etiam hoc carmine tes-  
tatur, Solus & artifices qui facit usus erit.  
Et Aristoteles sapienter dixit, exercitationem esse totius  
eruditionis consumationem, Vt igitur in nostra  
quoque Schola hoc ipsum præstemus, decreuimus exempla  
Lectionum ex præcipuis autoribus Latinæ & Græcæ  
linguæ, nostræ iuuentuti proponere, eamque ad imita-  
tionem eorum, loquendo, scribendo, declamando et disputa-  
rando summa diligentia conformare. Omnium enim exer-  
citorum Scholasticorum fundamentum & basis est, bonorum  
autorum frequens lectio: hanc sequi debet imitatio,  
qua recte dixit Quintilianus, magnam artis partem  
contineri. Studium autem imitationis, crebris exerci-  
tationibus quotidiani sermonis, styli, declamationum  
& disputationum constat & perficitur. Itaque hæc exer-  
citia una cum præceptis artium dicendi in nostra Schola  
semper coniungemus, et utrumque studium ad erudiendam  
iuuentutem & præparandam ad usum uitæ ciuilis et  
ad gubernationem Reip. diligenter retinebimus. Erat  
autem olim laudabilis mos, ut pauci in ludis literarijs  
autores.

autores, sed hi optimi proponerentur, quos imitaretur  
iuuentus, Nam quemadmodum de agricultura præ-  
ceptum est, ne maior sit fundus quam qui coli probè  
possit, Sic illi cum uiderent nec perdisci, nec exprimi aut  
imitari multos simul foeliciter posse, turbaq; scripto-  
rum confundi potius quam erudiri iuuenilia ingenia,  
pauciores prælegebant, quos sibi studiosi quam fami-  
liarissimos facerent. Hanc laudatissimam consuetudi-  
nem nos quoq; imitaturi, nostræ iuuentuti eos potis-  
simum autores proponemus, in quibus præceptionum  
uis atq; usus quam optime demonstrari possit, & qui  
credentem sibi, ut Quintilianus loquitur, minime fal-  
lant. Hinc enim futurum est, ut adolescentia ex uete-  
ribus, ijsq; præcipuis autoribus, magnam sibi faculta-  
tem purè & eleganter loquendi comparet, & succum  
quendam bonæ orationis cum rerum cognitione in te-  
neris annis hauriat, quem postea maturiori ætate ad  
grauissimarum rerum tractationem in republica, mag-  
na cum uoluptate adferat. Verissimum enim est illud  
Poëtæ, usq; adeo à teneris adsuescere multum est. Item  
Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem, testa  
diu. Ac cum omne studium lectionis atq; imitationis  
ad duplicem finem seu utilitatem referendum sit, uel  
ad uerborum & orationis uim, uel ad rerum cogniti-  
onem & prudentiam, curæ nobis erit, ut utriusq; genes-  
ris autores in Schola nostra enarrentur. Priori quidem  
generi, Oratores & Poëtæ potissimum deseruiunt:  
Posteriori,

Posteriori, philosophi & historici. Sed nos eiusmodi  
autores deligemus, ex quibus utrumque simul studiosa  
iuuentus magna cum fruge percipere possit. Ex Ora-  
toribus enim unus Cicero latinę linguę facile princeps,  
nobis pro multis erit. Ex Poëtis sumemus Terentium,  
Plautum, Virgilium, Ovidium, & Horatium. Ex  
Philosophis, præcipuos libellos Ciceronianos, quales  
sunt de Officijs, de Amicitia, de Senectute, & similes.  
Item Ethica Aristotelis, de anima, Metheora, & alia  
quædam his cognata, qualia sunt principia Mathema-  
tum &c. Ex historicis, Salustium, Iustinum, Cæsarem,  
& libros quosdam Liuianos. Hi namque autores om-  
nes & uerborum & rerum ubertate ita abundant, ut  
utriusque magnam suppellectilem diligenti Lectori sup-  
peditare queant. Sed nunc priuatim de Cicerone & de  
alijs quibusdam, in quorum lectione puerilis ætas diu  
multumque detinenda & exercenda est, pauca monebi-  
mus.

## DE CICERONE.

ET ut primum de Cicerone dicam cum is sit prin-  
ceps omnium eorum, qui floruerunt aureo illo seculo  
Romane eloquentię, facient profecto adolescentes ope-  
ræ pretium suorum studiorum, si hunc autorem tan-  
quam ducem constituent sequendum & imitandum,  
atque eius uestigijs in præceptis artium dicendi ad usum  
accommodandis, & potissimum in exercendo stylo in-  
sistendum,

C

sistendum,

sistendum, eumq; assidue legendum & euoluendum  
putent, ut eius exemplo & imitatione discant puram,  
perspicuam, recte dispositam & coherentem oratio-  
nem effingere. Certis ingenijs, inquit Seneca, immorari  
oportet, si uelis aliquid trahere quod in animo fideliter  
sedeat. Quapropter hunc sedulo imitandum adolescen-  
tibus nostris proponemus, eiusq; lectioni perpetuo im-  
morabimur, donec eum sibi familiarissimum reddide-  
rint, eiusq; sententias ac uerba pectori sic incluserint,  
ut quoties opus fuerit, non procul accersenda sint, sed  
ultrò atq; imparatis sese offerant animis. Nam ut pru-  
dentis oeconomi est, certum habere domicilium & cer-  
tam sedem, ita in studijs necesse est animum certo alicui  
autori ueluti domicilio affixum habere, ad quem ado-  
lescens quacunq; de re aut scribendum aut disputan-  
dum fuerit, sese referat, indeq; tanquam ex fonte alio-  
quo & locupletissimo poënu, uerba atq; phrasas petat.  
Meminerint autem hoc loco adolescentes Quintiliani  
præcepti, ut ad scribendi usq; sollicitudinem Cicero-  
nem legant. Tum demum animum legentis oblecta-  
bit, nouamq; subinde admirationem pariet, de-  
niq; id eueniet, quod idem Quintilianus gra-  
uissimè testatur, ut is se profecisse sciat,  
cui Cicero ualde placebit.

## DE TERENCE.

AD

AD sermonis tum puritatem, tum proprietatem  
nemo Terentio magis idoneus est, adeo ut Terentij  
uerbis frequenter Cicero ipse usus sit. Itaq; hunc au-  
torem pueris nostris, non tantum iterum atq; iterum  
relegendum, sed ad unguem memoriae commendand-  
um proponemus. Nam cum Cicero ei soli Latini ser-  
monis elegantiam tribuat, eumq; quasi optimum La-  
tinitatis autorem, optimo & suauissimo orationis ge-  
nere puerilem linguam imbuere affirmet, æquum est  
diu immorari eius lectioni, & paulo diligentius expen-  
dere uerba atq; sententias, donec penitus animo insides  
at tota orationis imago. Est autem in Terentianis Co-  
medijs eximium quoddam orationis familiaris & pos-  
liti sermonis exemplum, quali in priuatis disceptatio-  
nibus & quotidianis colloquijs ut plurimum utimur.  
Præterea narrationum atq; sententiarum, quæ admo-  
nent nos de rebus communibus in ciuili uita, multa  
egregia exempla traduntur, ad quorum imitationem  
in stylo exercendo utile est puerilia studia compara-  
re. Antonius apud Ciceronem ait, Nullam in dicen-  
do partem difficilius effici, quàm perspicuam narra-  
tionem. Cum igitur multa illustria exempla bonarum  
Narrationum in Terentio extent, magnopere prodest  
ea diligenter aspicere, & sæpe relegere et memorię com-  
mendare, ut in dicēdo & scribendo aliquam similitudi-  
nem earum præstare possimus. Neq; uero tantum uer-  
borū sed etiam rerū cognitio ex hoc autore peti debet.

C ij Omnia

Omnia enim hic tradita ad doctrinam moralem pertinent. Sunt enim plurimae descriptiones uirtutum ac uitiorum, quae & iudicium confirmant de multis rebus ciuilibus, & moribus componendis conducunt, ut intelligant adolescentes, quid in uita deceat, quid non, quae sint recte, quae secus facta. Atque haec doctrina proprie uocanda est humanitas, quia humaniter ac ciuiliter uiuendi ostendit rationem omnibus aetatibus. Quare ne unquam abijciant e manibus hunc autorem adolescentes perpetuo in Schola eum retinebimus. Fama est Erasmmum Roterodamum quinque exemplaria Terentij, Mosellanum uero quatuor contriuisse. Nec dubium est quin alendae & locupletendae facundiae causa eum tam diligenter legerint. Pulchrum enim est, orationem elegantem, perspicuam, puram, & propriam, effingere & proferre posse.

## DE ALIORVM POETARVM LECTIONE.

Os tenerum pueri balbumque Poeta figurat, inquit Horatius. Nec dubium est Poetarum lectionem non tantum ad scribendos uersus & ad imitationem carminis, sed multo magis ad uenustatem & copiam solutae orationis, plurimum emolumenti conferre. Abundant enim Poetae magna uerborum uarietate et selectis orationis flosculis, quibus sermonem condire & exornare, mirificam quandam gratiam & suauitatem conciliat.

Verum

Verum Poëtarum lectio non tantum hanc utilitatem  
habet, sed conducit etiam ad uitam bonis præceptis &  
exemplis excolendam, & ad mores formandos acuen-  
dumq; iudiciu. Eadem enim tradunt fermè præcepta  
Poëtæ de communibus moribus, uirtutibus, ac uicijs,  
quæ Philosophi, sed maiori cum uarietate, gratia, &  
dulcedine orationis ueluti uiuis coloribus depictas res  
suas proponunt, Nam hoc habent Poëtæ peculiare, ut  
cum omnia ad communem sensum uitæq; consuetudi-  
nem propius accommodare studeant, illecebris quibus-  
dam figurarum uarijsq; figmentis ea inuoluant, qui-  
bus ceu condimentis gratiora iucundioraq; reddan-  
tur. Itaq; Græcorum sapientes, pueros primum in le-  
ctione Poetica diligenter instituendos diuq; exercen-  
dos curarunt, donec pueriles animi cum illa suauitate,  
quàm percipiunt ex Poetis, simul uirtutis studium im-  
bibissent, amoremq; rerum honestarum concepissent.  
Solet enim hoc peculiariter accidere multis, ut in qua-  
rum rerum cogitatione diu multumq; uersantur, ea-  
rum ueluti sensu quodam animus imbuatur, & studia  
in mores abeant. Vnde tandem efficitur, ut ferè sem-  
per unusquisq; talis sit, qualem studia afficiunt. Quas  
propter non parum etiam ad mores & uniuersam ui-  
tam refert, quo genere literarum rudis ætas initio for-  
metur, & quos autores imbibat. Nihil enim uidetur  
efficacius esse ad mutanda ingenia moresq; hominum  
quàm literarum studium: quemadmodum Quidius

C in pulcherr

pulcherrime inquit,

*Adde quod ingenuas didicisse fideliter artes.*

*Emollit mores nec sinit esse feros.*

Sed hæc in genere de aliquibus autoribus latinæ linguæ, puerorum causa, breuiter monuisse satis sit. De reliquis in ipsa enarratione & tractatione autorum, fusius dicendi locus erit. Nunc paucis etiam de Græca lingua eiusq; autoribus in Schola nostra proponendis, agemus.

### DE GRÆCÆ LINGVÆ STUDIO.

Sicut magnum adiumentum & ornamentum uitæ humanæ est latine linguæ peritia, propterea quod sine ea ad nullius neq; diuinæ neq; humanæ artis cognitionem perueniri queat: Ita plurimum prodest Græcam cum illa coniunctam, recte tenere. Latina enim sine græca plane inops, ieiuna, manca, & imperfecta est, id quod mediocriter eruditis non ignotum est. Per paucas enim res ob latinæ linguæ inopiam exprimere possemus, nisi Græcæ linguæ copia & ubertate iuuaremur. Nec precipuarum rerum cognitionem haberemus, nisi ea Græcis literis nobis tradita fuisset: Quinimò ne titulos quidem & appellationes multarum disciplinarum, sicut nec titulos sacrorum librorum quisq; intelligere uel explicare sine huius linguæ adminiculo potest. Ac cum hodie græca in latinis scriptis nobis ubiq; sint obuia, pauca nos uel in sacris uel in prophanis libris propter græcismos & alias figuras, sine hac lingua recte

etē perciperemus, ut taceam interim quod græcæ literæ reuera sint fontes omnis sapientiæ et uirtutis. Habent enim præstantissimos autores e quibus sapientiæ & multarum rerum perfectior & absolutior doctrina petenda est. Quæ res magnam causam præbuit omnibus eruditis, ut communi uoce pronunciarent græcarum literarum scientiam non modo utilem sed etiam necessariam esse, ad perfectam & solidam doctrinam adsequendam: & statuerent in omnibus Scholis bene constitutis, grammaticam græcam cum latina coniungendam, propterea quod utraq; alteri sic affinis est, ut ambæ citius percipi queant coniunctim, quàm altera sine altera, Sicut & Cicero suum filium hortatur, ut Græca cum latinis coniungat. Quapropter ut nostros quoq; Scholasticos, qui iam aliquod robur Latini sermonis fecerunt, ad græca rudimenta discenda traducamus, inculcabitur eis initio faciliora illa præcepta grammatices, quibus perceptis ad alia subtiliora et difficiliora quoq; paulatim progrediemur. Adiungemus autem enarrationem autorū quorundam eiusdem linguæ, ex quibus exempla declinandi & coniugandi discētes petant. Multi sunt in ea opinione, quod pueri statim à græcis literis incipere debeant, ut à Quintiliano traditum est, sed hoc locum habet in pueris Romæ natis, quibus latinus sermo uulgaris erat & patrius. Nobiscum alia est ratio, quorum sermo non est natiuus, sed doctrina & institutione paratur.

DE

# DE GRÆCIS AVTORIBVS

in nostro Gymnasio pro  
ponendis.

VISVM est autem nobis commodissimum, si initio discantibus proponeremus faciliores illos Dialogos ac breuiore Luciani. Eiusmodi enim argumentorum genera, quæ ille tractat, iucunda sunt adolescentiæ, & eam facilitatem habent, ut à teneris animis bene percipiantur. His deinde succedat Hesiodus, qui adolescentibus magnū uocabulorum numerū suppeditabit, unde selectissima quæq; uocabula & optimas sententias tanq̃ flosculos ex amoenissimo quodam horto decerpant, quibus alere eloquentiam & orationem illustrare possint. Magna enim & copiosa uerborum suppellectile opus est, si quando de rebus grauib; & obscuris dicendum erit. Est autem Hesiodi prior libellus totus ἠθικὸς, hoc est, moralis. De moribus enim et de uita præclare instituenda, præcepta utilia & pernecessaria continet. Posterior uerò rei œconomice, præsertim in agricultura, rationem tradit, & præcepta de ortu & occasu siderum obseruando, multaq; alia quæ ad naturam cognoscendam faciunt, complectitur. Cipient autem adolescentes ex hac lectione hunc quoq; dulcem fructum, quod imitationem, quam Virgilius iuxta Poemata Hesiodi fecit, contemplari possunt. Nam Virgilius Georgica sua ad Hesiodi Poematis imaginem informauit, adeo ut ferme nihil in illis reperiatur, quod  
idem

idem apud Hesiodum non sit. Quemadmodum etiam in Bucolicis Teocritum, in Aeneide Homerum imitatus est, ex quo non res tantum sed & uersus plurimos ad uerbum translatos, uidere licet.

Atque has quidem lectiones tam græcas quam latinas initio sufficere nostræ Scholæ putamus, præsertim cum nec ætas nec ingenia iuuenilia in ipso auspicio grauioribus oneranda sint. Procedente uerò ætate & aperiente se magis, ut sit, intellectu, crescenteque doctrina, ad plures grauioreque autorum enarrationes perueniemus. Nam ubi hæc principia mediocriter didicerint nostri auditores, trademus illis quoque elementa doctrinæ Iuris, aliarumque utilium artium.

### DE ALIIS ARTIVM DICENDI EXERCITIJS, nempe de quotidiano sermone & stylo.

Quoniam uerò non satis est diligenter uersari in lectione bonorum autorum, eorumque exempla ad imitationem in promptu habere, nisi accedat usus loquendi frequens, & exercitatio styli crebra: Ideo nos primum omnes Scholasticos in quotidianis colloquijs sermone latino uti uolumus, ut hac exercitatione expedite, promptè, & purè latinam orationem ab ineunte ætate sonare discant. Deinde uerò adolescentes assiduo usu scribendi, diligenter exercebimus, ut & loquendo & scribendo pariter sibi latinæ linguæ elegantiam ad imitationem ueterum comparent. Habebant autem

D ueteres

ueteres olim uaria exercitiorum genera pro pueris.  
Declamabant enim alij publicè, alij instituebant nar-  
rationem, alij tractabant locum communem, alij lau-  
dabant personam, alij uituperabant: alius suadebat,  
alius dissuadebat, alius exercebatur Thesi, alius Hy-  
pothesi, alius dabat operam uertendis græcis, alius sen-  
tentiam quandam illustrem periphrasi explicabat: alius  
meditabatur carmen, alius solutam orationem, &  
id genus alia. Quibus dum inter se obnixe certabant  
(proponebantur enim præmia ijs qui obtinebant pal-  
mam) adolescentes & in styli exercitio ualde prouehe-  
bantur, & iudicia sua mirum in modum acuebant ac  
confirmabant, artesq; dicendi intra paucos annos om-  
nino absoluebant. Hanc ueterum consuetudinem, quia  
utilis est & necessaria, nos quoq; in nostra Schola ob-  
seruabimus. Aliàs enim non uideo quid profuerit le-  
gisse bonos autores, nisi id cum quadam & dicendi &  
scribendi sollicitudine fiat. Quemadmodum enim la-  
bor styli, ut Quintilianus ait, citra lectionis exem-  
plum, carens rectore fluit, ita lectio citra laborem &  
exercitationem styli assiduam, inani studio absumi-  
tur, nec ferè ullum sui fructum gignit. Ideo Cicero  
stylum optimum dicendi magistrum & effectorem  
uocat, & Quintilianus in eo radices, fundamenta, &  
opes eloquentiæ, uelut sanctiori quodam ærario re-  
conditas esse affirmat, ac propterea studiososhorta-  
tur, ut quam plurimum & quàm diligentissime se  
in

in scribendo exerceant.

## DE VERSIBVS SCRIBENDIS.

AD styli exercitium pertinet etiam studium con-  
texendorum uersuum, in quo magna uis parandę elo-  
quentiæ sita est. Ideo Ciceronem ipsum non tantum  
Poëtarum studiosissimum fuisse, sed etiam carmen  
composuisse testantur multa Epigrammata, multiq;  
loci illustrium Poëtarum ab ipso latinis uersibus lucu-  
lentissimè expositi, Idq; eum ob nullam aliam causam  
fecisse constat, quàm quod sensit facundiam atq; dicen-  
di uim nulla alia re, quàm hoc unico scribendorum  
uersuum studio maximopere ali & adiuuari. Nec fie-  
ri potest ut conseruetur hoc quicquid est elegantiae ac  
puritatis, quod hoc seculo mediocriter refluuit, nisi  
exercendo stylo iuuentus quoq; interdum carmen me-  
ditetur. Ad hæc Quintilianus etiam Poëticen ad copi-  
am et uim quandam in soluta oratione comparandam,  
utilem & necessariam esse dicit. Nec frustra quidam  
hac de re pulcherrimo disticho scripsit.

Hic labor ingenij uires acuitq; fouetq;.

Hinc uenit eloquij copia, forma, nitor.

Præterea huius institutionis usus, quæ est de scri-  
bendorum uersuum ratione, hoc est, de literarum,  
syllabarum, ac dictionum recta pronuntiatione, tam  
latè patet, ut nulla omnino sit professio, neq; in hu-

D ij manio

manioribus literis, neq; in medicina, neq; in iurispru-  
dentia, neq; etiam ( quod aliquis fortasse mirabitur )  
in sacris literis, in qua non sæpe risum moueat is, qui  
huius artis prorsus rudis & ignarus est. Atq; haud scio  
an de reliquis studijs actum sit, splendorq; & ornatus  
in soluta oratione frigeat, ubi Poëtice fastidiri cœpes-  
rit. Quare certo cuidam professori hanc curam des-  
mandabimus, qui pueros in hoc genere studiorum di-  
ligenter exerceat. Aliquando ipse quoq; uersus compo-  
nat, ac rationem imitandi bonos Poëtas, suis exemplis  
ostendat. Fieri enim non potest, ut carminis scribendi  
rationem unq; recte intelligant hi, qui se in scribendo  
ad ueterum Poëtarum imitationem aliquo modo non  
assuefecerunt. Quod idem iam olim uidentes quidam  
docti ac boni uiri, instituerunt ut in ludo pueri non ad  
prosam tantum orationem scribendam adhiberentur,  
sed & uersibus simul scribendis statim ab initio exerce-  
rentur. Quod quidem illorum consilium nos uehemen-  
ter probamus. Cum enim natura producat uaria inge-  
nia, nequaquam incommodum est, si uaria quoq; stu-  
diorum genera in tanta ingeniorum uarietate propo-  
nantur. Quare & nos ut cuiuslibet ingenio & naturæ  
& ætati rectius consulatur, summo studio, fide ac dili-  
gentia, omnia exercitiorum genera, ad expoliendam  
linguam & formandum iudicium necessaria tuebimur.

## DE EXERCITIO DECLAMA-

TIONVM.

Iudica.

Iudicamus autem inter alia styli exercitia pro aduſ-  
tioribus utiliſſimam eſſe declamandi conſuetudinem,  
& dignam perpetua obſervatione, non tantum quod  
latinæ linguę exercitium conſeruat, & ad eloquentiam  
iuueniles animos præparat, quo quidem nomine præ-  
cipue à maioribus inſtituta eſt, ſed etiam quia in tali-  
bus declamationibus materiæ adferuntur & tractan-  
tur ad uitam utiles. Multas enim hiftorias cognitione  
dignas, multoſq; locos ex præſtantiffimis artibus illu-  
ſtratos, recitare adoleſcentes plurimum prodeſt ad for-  
mandum iudicium de multis rebus in uita longè utiliſ-  
ſimis. Præcipua igitur cura nobis erit, ut adoleſcentes  
noſtri in hoc genere diu multumq; exerceantur, ut his  
progymnaſmatis informati, ad explicationem rerum  
feriarum in foro & republica inſtructiones accedant.

#### DE EXERCITIO DISPUTATIONVM.

Dabimus etiam operam ut frequentes habeantur  
diſputationes in noſtra Schola, Quo profecto nullum  
eſt genus exercitiij poſt declamationes magis neceſſari-  
um adoleſcentibus, & ad Dialecticam exercendam uti-  
lius. Diſputandi enim uſus uniuerſam uim & utilita-  
tem Dialectices continet, & adſuefacit ingenia ad Me-  
thodum, ut diſcant ordine, propriè, & diſertè res mag-  
nas proponere & explicare, acuit iudicia, multa monet,  
quæ alioqui non uenirent in mentem. Adhuc adoleſcen-  
tes hac exercitatione conſequuntur <sup>et ipſi</sup> & promptitu-  
dinem

D iij

dinem

dinem quandam, ut suas cogitationes, item aliorum  
confusas uel prolixas argumentationes facilius & bre-  
uius possint certo ordine concludere in formas Syllo-  
gismorum, quod ad iudicandum & explicandum est  
utilissimum. Deinde adfert celeritatem quandam in-  
genij, & alit extemporalem facundiam hęc exercitatio.  
Addo quod & ob hanc causam ea consuetudo in om-  
nibus Scholis retenta est, ut mutua collatione grauissi-  
marum sententiarum tam ciuiliū quā sacrarum,  
ipsa ueritas diligenter discussa & inquisita, incorruptis  
us conseruaretur, & rectę opiniones teneris animis in-  
stillarentur, id quod in omni uita, in omnibus negocijs,  
maximē utile & necessarium est. Videmus enim quam  
multa horribilia mala, tum in Ecclesia tum in republi-  
ca oriantur ex falsis & prauis opinionibus, quas negle-  
cto studio uerbi Dei & inquirendę ueritatis, Diabo-  
lus mentibus hominum obijcit & inserit. Quod cum ita  
sit, profecto in hoc totis uiribus nobis incumbendum  
est, ut disputandi morem, utilem Ecclesię & reipubli-  
cę in nostra Schola assiduis exercitijs confirmemus. Ut  
enim Hesiodus scribit, Iustitiam pulsam ciuitatibus in  
coelum euolasse, ita nunc propemodū ueritas ē iudicijs,  
foro, et curia profligata, uix usq̃ tutius hospitium ha-  
bet quā in Scholis, ubi hac unica exercitatione dispu-  
tandi mediocriter adhuc retinetur & conseruatur.

## DE MUSICA.

Postremo exercebimus etiam Scholasticos nostros  
non

non minori cura ac diligentia in arte Musica, propterea quod hæc ad animum recreandum utilissima est, et dignissima homine liberali, maxime literato. Et profecto si quis non afficitur huius artis suauitate, eum abhorrere ab omni humanitate & naturam habere distortam, monstrosam, & ab omni harmonia in studijs, moribus, & uita alienam, necesse est. Aristoteles dicit Musicam ad tria prodesse, ad liberalem oblectationem, qua & ipsa opus est hominibus: deinde ad pedagogiam hoc est, ad efficiendam humanitatem & moderationem in moribus: tertio ad sedandos & ciendos affectus. Et propter hanc causam semper adhibita est Musica ceremonijs sacris, quia facilius discimus et meminimus uersibus et cantionibus alligata, et cantus ciēt affectus idoneos ad excitandam pietatem. Sic nobis soepe uenit in mentem, musicam præcipue sacrorum causa hominibus diuinitus inditam esse. Quare cū tanta sit uis huius artis, ut non solum pariat honestam uoluptatem animis, sed etiam flectat mores ad quandam suauitatē et inuitet homines ad maiorem deuotionē erga Deū, efficiemus ut nūq̃ illius exercitatio in nostra schola intermittatur.

HÆC sunt præcipua exercitiorum genera, quæ statim ab initio adolescentibus unā cū artiū dicendi studio proponenda esse statuimus. In quibus si diu multumq̃ exercitati fuerint, non dubitamus eos maiori cum laude ac fructu ad maiores disciplinas accessuros. Nam in ea nos plane sententia sumus, ut qui uelit in superioribus,

ut

ut vocant, professionibus aliquid eximium & dignum  
laude præstare atq; efficere, cum oporteat animum hu-  
manioribus disciplinis & tyrocinij Philosophiæ bene  
tinctum & imbutum asferre, & exercitationibus scri-  
bendi ac disputandi plurimum operæ et laboris impen-  
disse.

## DE PIETATIS STVDIIS.

IN Testamento ueteri lege sancitum erat, ut omni-  
um rerum primitiæ Deo consecrarentur. Debemus igitur  
tur & nos aliquas horas & aliquot tempus discendæ  
doctrinæ sacrae impartire, & Deo consecrare, fru-  
ctumq; nostrorum studiorum maxime ad agnitionem  
& obsequium Dei conferre. Nam cum aliæ artes nihil  
doceant de uoluntate Dei, de iustitia spirituali, de uita  
æterna, ipsa pietas flagitat, ut Philosophicis studiis  
Christianam quoq; doctrinam adiungamus. Initium  
sapientiæ, ait Salomon, timor Domini est. Sacra scrip-  
tura autem sola timorem Domini docet, quemadmo-  
dum per os Prophetæ spiritus sanctus profitetur, & ad  
hoc studium blandissima uoce nos inuitat: Venite ad  
me filij, inquit, timorem Domini docebo uos. Itaq;  
oportet eos, qui sapientiæ studium sectantur, ab agni-  
tione & timore Dei auspiciū facere. Ita demum ad  
ueram sapientiam peruenient, nec labor eorum irritus  
erit in Domino. Ac uerè quidem statuendum est om-  
nibus, reliquarum artium cognitionem perinde esse  
atq;

atq; corpus sine anima, nisi accedat timor Domini & fides, quæ ueram lucem in mentibus accendunt et uitam beatam reddunt. Quapropter præcipua capita fidei Christianæ diligenter inculcabitur pueris nostris, & dies festos totos lectionibus sacris dabimus. Alijs Euangelium & Epistolas, ut uocant, Dominicales, græcè & latinè interpretabimur: alijs uerò qui altiorum nondum sunt capaces, prima rudimenta Catechismi iuxta doctrinam Catholicam explicabimus. Quo officio & studio pietatis nec Deo quicq; gratus esse, nec alium Dei cultum meliorem existimamus. Hinc fortunabit Deus studia nostra, suggeret nobis uirtutem, & benedicet omnibus studijs & conatibus nostris, ut habeant foelicem ac bonum successum. Quod & Salomon sapientissimus Rex affirmat, cum ait: Fili, liga præcepta Domini Dei tui ad guttur tuum, & scribe ea in tabula cordis tui, & inuenies gratiam & intelligentiam & bonitatem, in oculis Dei ac hominum: Confide Deo in toto corde tuo, & prudentiæ tuæ ne innitaris, in omnibus uijs tuis agnosce eum, & IPSE DIRIGET SEMITAS TVAS. &c.

## DE INSTITVTIONE PRIVATA.

Propter multas graues causas institutio & disciplina priuata utilis & necessaria est Iuuentuti. Prodest enim & studijs & moribus, si Præceptorem uel Pædagogum habeat tenera ætas, cuius opera & domestica  
E quasi

quasi conuersatione priuatim in discendo utatur, & ad assiduitatem & exemplum uitæ honestæ excitetur. Et quia sæpenumero accidit, ut imbecilles animi in communi coetu turbentur, & ad alienas cogitationes, prout sunt uagi & mobiles puerorum animi, rapiantur, diligenter priuatim ea quæ in Ludo tractata sunt, repetere domestici præceptoris studio possunt. Ita enim singula certius ac perfectius intelligent, & intellecta firmitus animis adhærescent. Nec fieri potest ut breui illa auscultatione, quæ in Schola fit, benè & perfectè aliquid cognoscat puer, nisi modico interuallo sæpius id ipsum relegat & apud animum reuoluat. Quæ res non solum ad ueram intelligentiam, sed etiam ad memoriam exercendam & firmandam, conducit plurimum. Facient autem suum officium præceptores priuati, si pueros suæ fidei commissos repetitionibus faciendis summa diligentia aduenerint, & ad persoluedum pensum de singulis lectionibus quotidie diligenter coegerint. Studiosos autem adolescentes hic decet imitari apum naturam, quæ cum per uarios rapiuntur flores, primum optimum quemque succum exugunt, eundemque mox in aluearium perferunt, in eoque aptè disponunt ac per fauos digerunt. Eodem enim modo ipsi quoque ex diuersis lectionibus auditis, utilissima quæque colligere, eademque diligenti cura conferre, & in memoriæ thesaurum tanquam in aluearium congerere debent. Quod si quis assiduo studio præstiterit,

rit, is profecto intelliget breui tempore multum se  
profecisse. **SEXTIVS** ille Rhetor clarissimus,  
autore Seneca, nunquam se cubitum contulit, prius  
quam totam transactam diem secum animo expendis-  
set, perspexissetq; qua parte melior, quaeue deterior fa-  
ctus esset. Sic bonus adolescens nullum diem occidere  
permittat, quo non tacite secum quicquid uel legerit  
uel audiuerit remetiat, & quasi ruminando ea quae  
optima fuerint, apud animum & memoriam fideliter  
deposuerit. Raro enim uel nunquam etiam, ad matu-  
ram frugem peruenire uidemus eos, qui more fastidis-  
entis stomachi, multa delibant, pauca uero aut nihil  
omnino digerunt. Quare non male consulere suis stu-  
dijs uidebuntur, qui in repetendis lectionibus, aut  
praefectore aliquo priuato, aut sodali meliore ac do-  
ctiore usi fuerint.

## DE PARENTVM OFFICIO.

Hec ideo duximus publice significanda esse, ut scirent  
etiam exteri, nostram operam ac fide nullius studio aut  
cupiditati discendi defuturam esse: sed omniu uoluntati  
semper presto futuram, in ijs cuius liberaliter commu-  
nicandis, quae cum ad pietatis et reliquarum artium studia,  
tum ad uitam recte instituendam, utilia atq; necessaria  
esse uidebuntur. De praeflectionum ordine et digestionem,  
& horarum distributione, quae ordinis causa necessaria  
est nihil dicam, propterea quod eadem subinde fere pro

E ij inge

ingeniorum atq; ætatum diuersitate, & inæquali studiorum profectu, singulis annis statis temporibus mustari necesse est. Hoc tantum addere uolui, multa à parentibus requiri, quæ domi in prima æducatione fieri oporteat, si iuuentus in Scholis deinde ad bonam frugem perueniri debeat. Primum autem est, ut liberos suos à teneris, ut dicitur, unguiculis, in timore Domini & omni honestate et modestia uitæ educent, ne quid uiciorum ex prima educatione in Scholam adferant. Nam à teneris, ut Poëta ait, adsuescere multum est, & uitia in prima ætate contracta, tenatius hærent, ita ut citius deinde frangas quàm corrigas quod semel in prauum induit. Deinde ut amorem erga literas & ardorem discendi in liberis suis exuscitent, eorumq; industriam monendo, urgendo, et instigando accendant. Non enim minus est accendere ad studia adolescentem, quàm alere. Sicut Aristoteles solitus est dicere. Parentes qui liberos suos rectè institui curassent, multò honorabiliore esse ijs, qui tantum genuissent, propterea quòd ab ijs contigisset tantum uiuere, ab illis autem, bene ac honestè uiuere. Tertium est, ne illorum diligentiam laboribus domesticis impedian, interturbent aut distrahant. Otiosum enim ac liberum requirunt animum literæ, non alienis laboribus occupatum, quibus ingenij acumen facillimè perturbatur, & mentis impetus si non totus debilitatur, certè ad rerum considerationem omnino segnior redditur. Quartum est, ut  
eos

eos ad obedientiam, reuerentiam, & obseruantiam,  
præceptoribus suis præstandam, à quibus ad optima-  
rum rerum cognitionem & ad meliorem uitam tradus-  
cuntur, sedulo hortentur, nec non etiam ad diligentiam  
in studijs adhibendam, sine intermissione admoneant.  
Quod tum quidem rectissimè fiet, cum eos de literis ac  
præceptoribus piè & honestè sentire adsuefecerint, eisq;  
certas rationes cur hæc literarum studia ualde amanda  
et expetenda sint, sæpe inculcarint. Vt autem honestam  
de literis opinionem citius assequantur & concipiant,  
multum contulerit præclara illa Sapientum dicta de li-  
terarum dignitate & utilitate subinde ingerere. Quale  
est illud Aristotelis, qui interrogatus, qua potissimum  
re docti ab indoctis differrent, respondit: qua uiui à  
mortuis, sentiens hominem sine literis statuam esse ue-  
rius quàm hominem, ac potius mortuum quàm uiuum  
censeri. Huic non absimile est illud quod apud Ecclesi-  
astem cap. ij. legitur. Tantum excellit scientia ignoran-  
tiam, quantum differt lux à tenebris. Est & illa M.  
Catonis sententia pueris sæpe inculcanda, Literarum  
radices amaras esse, fructus uerò dulces. Primum enim  
uidentur hæc studia acerba pueris & plena difficultatis,  
nec habere quicquam sua uitatis & utilitatis: Verum  
prima illa difficultate deuicta, cum iam paulo altius  
progressi, usum literarum in maximis negocijs rerum  
humanarum atq; adeo in omnibus uitæ partibus aspi-  
ciunt, tantam inde uoluptatem tamq; dulces fructus  
E iij hauriunt

hauriunt, ut assiduitate studiorum et auiditate discendi, satiari nequeant, sed quanto plura didicerint, tanto plura sibi discenda putent. Illud quoque Menandri dictum insigne & memorabile est, cum inquit, Pulcherrima est possessio, eruditio, mortalibus. Hæc igitur & id genus alia multa præclara dicta sapientissimorum hominum, si liberis suis proposuerint, eosque ad industriam et sedulitatem discendi crebris monitis accenderint, non dubium est, nostram rem Scholasticam propediem Deo prosperante, magnum (uel fremente ipsa inuidia) incrementum ad ornandam gloriam Dei & utilitatem uniuersæ Reipublicæ, esse facturam.

## DE DISCIPLINA SCHOLASTICA

ET MORVM OBSERVATIONE.

Verissime dictum est, Qui proficit in scientia & deficit in moribus, plus deficit quam proficit. Nam quid iuuat ingenuas didicisse artes, si non accedat etiam decens uitæ cultus ac morum & modestiæ quædam diligens observatio. Puerum enim ingenuum decent ingenui mores. Nec quicquam turpius aut foedius est, quam uirtutis & honestarum artium studiosos, uitam suam deformare incultis et lasciuis moribus. Ideo Quintilianus etiam potiore rationem ducit honestè uiuendi, quam uel optime dicendi. Ac cum Scholasticum genus uitæ in summo & laudatissimo gradu collocatum sit, nihil magis decet, quam in studijs & in componendis moribus præstare diligentiam dignam tanto uitæ gradu

du, ut adolefcentes ex Scholis ad Rempub. adferant & doctrinam utilem uitæ, & mores grauitate et modestia ornatos. Multis autem modis utile est & necessarium, puerorum animos statim à prima ætate adsuefieri ad disciplinam, ut uirtutem amare, turpitudinem fugere, perniciosos impetus moderari, atq; communia ciuilitatis officia colere discant, ne si inter alios posthac uersari uitamq; degere oporteat, ceu Timones & *μισάνθρωποι* ab omni hominum urbanitate & ciuilitate prorsus abhorre uideantur. Postremo cum manifestū sit, quod nulli hominum cœtus sine legibus recte teneri gubernariq; possint, & Deus quoq; uelit omnes homines certo iure regi, imprimis uerò adolefcentia, quæ ad omnem licentiam ardore cupiditatum procliuis est, freno et uinculis aliene gubernationis opus habeat. Ideo nos Scholasticis nostris certas præscripsimus LEGES, ad quas tanq; ad normam uerecundiæ, modestiæ et omnis honestatis, uitam iuuenilem moderentur et componant. Descet enim Scholas non tantum bonarum artium et salutaris doctrinæ, sed etiam omnium uirtutum et honeste uitæ, officinas esse.

DE STATVENDIS POENIS IN DELINQVENTES.

CVM præsens hæc ætas plus æquo licentiæ sibi summat, est opus ardentem frenis arcere iuuentam, ut quisdam inquit: Verum non ita seuerè aut immåniter animaduertendum est in pueros, ut plagarum metu, quod solet fieri, magis odisse q̃ amare literas incipiant. Superioribus

rioribus seculis bona pars ingeniorum sic perijt, quod  
à læuis & plagosis præceptoribus potius deterrebantur  
à studijs, quàm allicebantur. Ideo modus seruandus est  
in puniendo, quem nobis Mitio ille Terentianus præ-  
scribit, cum docet, pudore & liberalitate liberos in of-  
ficio retinere satius esse, quàm terrore aut metu. At si  
qui fuerint adeo feroces, indomiti & intractabiles, ut  
lenitate se regiet mitius admoneri aut castigari sese non  
patiantur, his plectendis non deerit etiam iusta seueritas  
nostra. Ac si quidem delictum fuerit eiusmodi, quod  
plagis tolli et expiari omnino non poterit, aut ætas iam  
grandior uirgarum disciplinam subire recuset, huic  
pro ratione delicti & delinquentis conditione uel mul-  
cta irrogabitur, uel poena carceris infligetur. Contu-  
maces autem, libinosos, impuros, mendaces, fures, ca-  
lumniatores, & alios qui Leges nostras proteruè &  
petulanter contemnunt & uiolant, disciplinam  
dissipant, bonos mores dehonestant, ex  
Schola nostra magna cum ignomi-  
nia eijciemus & relega-  
bimus.

SEQVUNTUR  
LEGES DISCIPLINÆ  
SCHOLASTICÆ.

Studiosæ

**E**T si non dubitamus multos esse ex Scholasticis, qui uel non moniti, ultrò facturi sint suum officium: tamen cum in hoc corrupto seculo plerique magnam sibi sumant in omnibus ferè rebus licentiam, duximus certas leges proponendas esse, quas tanquàm duces in colendis suis studiis & regendis moribus sequerentur. Vult enim Deus rudem & infirmam ætatem regi Legum, magistratum & docentium autoritate. Hortamur igitur uos ut ad obedientiam & ad disciplinam uos adsuefaciatis. Doctrina enim per se non satis ualet ad formandos animos, nisi etiam sint adsuefacti ad disciplinam & obedientiam, Sicut & Aristoteles inquit, Vt terra non fouet accepta semina, nisi sit subacta & mollita aratione, ita ad doctrinam percipiendam opus est ab adolescentia animos assuefieri & molliri, ut amare honesta & turpitudinem fugere discant. Quare uobis has leges proponimus tanquam gubernatrices honestarum actionum. Ac pro nostra autoritate seuerè mandamus, ut his nostris legibus summa diligentia pareatis. Hanc enim obedientiam Deus multis & magnis premijs ornabit. Si quis uerò eas contumaciter neglexerit, non dubitet quin Deus contumaciam grauib; poenis puniturus sit. Sic enim inquit scriptura, Calamitas & confusio accidet his, qui nolunt pati disciplinam, sed qui obtemperat correctioni, honore afficietur.

F Lex

## LEX PRIMA.

Primum cum totius uitæ gubernatio & omnium rerum successus à Deo petendus & expectandus sit, uolumus ut pueri manè surgentes, diei initium à precatione & lectione sacra auspicentur, hoc est, ut Decalogum, Orationem dominicam, & fidei articulos uel domi uel in Schola recitent, & reliqua Catechismi capita diligenter percurrant. Hinc enim futurum est, ut pueriles animi à teneris adsueta facti ad religionem & timorem Dei, à multis flagitijs facile auocentur & abstrahantur, à quibus alioquin nec uerbis nec uerberibus abduci possunt. Deinde gubernabit & prosperabit timor Domini reliqua studia omnia, & efficiet ut ea sint salutaria singulis & toti Reipublicæ.

## SECUNDA.

ET quia eruditionem maxime commendant mores, uolumus ut Præceptores uestros reuerenter & honore digno colatis, illisq; studiosè in omnibus obtemperetis. Nullus obmurmuret aut obganniat illorum dictis aut monitis. Nullus sit ingratus pro acceptis beneficijs, sed potius imitetur Alexandri Magni exemplum, qui non minus se Aristoteli præceptorì, quàm Philippo patri debere prædicabat, propterea quod hic corpus tantum aluisset, ille uerò mentem atq; ingenium bonis artibus excoluisset.

## TERTIA.

Deinde

Deinde iusto honore afficietis omnes, quibus is debetur, ut sunt parentes, Magistratus, ministri Ecclesiarum, senes, docti, & honesti ciues, pudicæ matronæ & puellæ &c. Hæc enim ciuilitas imprimis decet & ornat adolescentiam, & ad deuinciendos hominum animos atq; multorum fauorem conciliandum, plurimum prodest, & est specimen honestæ disciplinæ, & significatio uerecundi & bene morati hominis.

#### Q V A R T A.

Vt expeditè latine loqui discatis, uolumus ut non tantum in Schola, sed etiam domi & ubicq; locorum in omnibus congressibus, & inter ludendum etiam latine loquamini. Inde fiet ut latinam linguam ludendo etiam discatis. Cogitabitur autem in familiaribus colloquijs hanc curam esse adhibendam, ut quantum fieri potest, emendata atq; recta sit oratio uestra, & grammaticis præceptionibus conueniens. Hæc diligentia quantum emolumenti uestris studijs allatura sit, posthac re ipsa experiemini.

#### Q V I N T A.

Dominicis & alijs festis diebus omnes Scholastici lectionibus sacris & pijs contionibus interesse debent, ut et ipsi adsuefiant ad audiendum Euangelium, et alios suo exemplo inuitent ad pietatem. Hunc enim cultum religionis Deus à nobis seuerè requirit, ut ipsum rectè agnoscere, inuocare, et timere discamus. Ac uult notitiam sui in genere humano conseruari & propagari, quan-

F ij doqui

dequidem ad hunc finem præcipue homines conditi  
sunt, ut Deum agnoscant, eiq; obediant, & nomen eius  
celebrent in omni æternitate.

### SEXTA.

Mandamus etiam, ut post signum datum mature  
se quisq; in Scholam recipiat, præceptores attentè au-  
diat, Lectiones susurris & ineptis gestibus aut collo-  
quijs non turbet, Septa suæ clasis non transgrediatur,  
Singula suo ordine quæ præceptor iusserit, scribat &  
collocet. Lectiones domi & in Schola diligenter repe-  
tat, Stylum summo conatu exerceat, Alijs studendi oc-  
casionem nulla ratione interturbet aut impediat. Nemo  
horum uel illorum solutius cursitet. Nemo turbas  
excitet. Nemo quoq; sine autoritate & consensu præ-  
ceptoris Schola exeat.

### SEPTIMA.

Adolescentes ubiq; egerint, præstare debent modes-  
tiam & uerecundiam in sermone, in incessu, deniq; in  
omnibus actionibus. Hæc enim uirtus & si omnibus æ-  
tatibus, personis, temporibus, & locis conuenit, tamen  
adolescentes & iuuenilem ætatem maxime decet. Et  
quia Scholæ non modo literarum, sed omnium uirtu-  
rum officinæ sunt, prohibemus, ne quis spurcis uel ob-  
scenis sermonibus, aut inhonestis uel impudicis cantio-  
nibus utatur, ne alios sua turpitudine corrumpat &  
contra

contaminet, sed potius suo exemplo uirtutis, ad honestatem exuscitet & à uitijs deterreat.

### OCTAVA.

Prohibemus etiam ne quis per publicam uiam indecenter ambulet, Ne quis clamando aut uociferando circumcursitet, Ne quis aliorum peccata celet aut tegat, Ne alter alterum ledat, nec ad dimicandum prouocet, Ne alter alterum falso cognomine appellet, uel sannis, irrisiionibus, aut suggillationibus, alioquē quouis modo ad iram extimulet. Ne alter alterum falsò accuset, Ne quis inter sodales inimicitias seminet. Deniq; in summa, quilibet caueat ne ulla in re liberalis pudoris & modestiæ fines excedat, nec concordiam sodalium distrahatur, uel publicam pacem & tranquillitatem, ullo modo interturbet.

### NONA.

Nemo mentiatur aut nugas spargat, aut temerè iuret. Nam hoc uitium non modo per se hominem dedecorat, sed & alias uirtutes turpiter infamat, & hominem præclaris alioquin dotibus ornatum, inuisum, odiosum, & inutilem reddit. Nemo imprecetur alteri malum, Nemo rem alienam furtim auferat, Inuenta suo loco quisq; restituat, Nemo in flumine lauet, eaq; in re periculi magnitudine moueatur.

### DECIMA.

F iij

Et

Et quia nimia intentio discendi ingenia iuuenilia fa-  
tigat & obtrundit, ideo interdum aliquid laxamenti  
studijs interponi necesse est, & remittendus est animus  
ut nonnihil à labore respiret & laxatione recreetur.  
Nam alioquin uerendum est, ne quod caret alterna res  
quie durabile non sit. Dabimus igitur certas ferias a-  
dolescentibus, in quibus à studijs uacare liceat. Sed in  
his uacationibus ludi exerceantur ingenui, ne laxatio  
illa sit inhonesta & à puerili decoro aliena. Absint etiam  
à ludis rixæ, absit dolus, absint iniuriæ, absit inuidia.  
Decorant ludum grauitas & honesta læticia, ordo, ca-  
ritas mutua, & uirtutis amor: E contra uerò dehone-  
stant ludum scurrilitas, lasciuiæ, nimia insolentia, cla-  
mor, insania, immoderatae & stultæ gesticulationes.  
Absint quoque licitationes, emptiones, permutationes,  
& mutationes: Et qui luserit pro argento, simul atque  
deprehensus fuerit, grauem & scelere dignam poenam  
referet.

### VNDECIMA.

Denique mandamus ut in Schola & maximè in audie-  
torijs publicis tum etiam in priuatis cubiculis & habi-  
tationibus mundicies et puritas seruetur. Difficile enim  
est animum alacrem intendere in studia, cum agitur in  
loco impuro & sordibus atque spurcijs contaminato.

### DVODECIMA.

Eadem mundicies & nitor quidam concessus, in cul-  
tu &

tu & uestitu præstetur. Vestes sint sine labe & sordibus. Cultus sit purus & elegans, sed à luxu & mollicie alienus, denique totius corporis habitus recte compositus, & singula membra suam quandam elegantiam & decentiam præ se ferant.

## CONCIUSIO.

CVM Leges prorsus inutiles sint sine executione, & neruus totius disciplinæ ciuilis sit, ut contumaces & petulanter contra leges agentes puniantur, Ideo nos factum aut dictum contra nostras leges in aliquo deprehensum, pro magnitudine delicti grauius & seuerè puniemus. Vult enim Deus Magistratum & Præceptores, custodes esse Legum & disciplinæ: & coercere petulantiam & castigare contumaces iubet. Imo ipse met quoque uindex est, & contemptum Legum horribiliter punit. Sicut id testantur multæ tristissimæ calamitates horum temporum, quæ poenæ sunt multorum scelerum humanorum. Quare iterum mandamus, ne quis petulanter uiolet has leges, nec turbet aut dissipet disciplinam bono et salutari consilio institutam, sed potius se adsuefaciat ad obedientiam, quæ & nutrix est aliarum uirtutum & Deo placet, ut scriptum est, Melior est obedientia quam uictima.

# ELEGIA IN LAUDEM RE.

NASCENTIS GYMNASII CVL.

mensis, scripta à Ioanne Codicio.

O Bruor heu lachrymis, quoties in mente reuoluo,  
Flebile ceu fatum secula nostra ferant.  
Mars fremit, Eumenidum conturbant fulmina mundum,  
Arma furore ualent concita, iura iacent.  
Cur mala parua queror? quid ut hæc iuuat ipse referrem?  
Respicio clades, si bone Phoebe tuas.  
Thespiadum potius sors est miseranda, querelæ  
Iustior huic nunquam uenerat ante locus.  
Fama quidem pulsas retulit Libethridas olim  
Tecta Pyreneæ deseruisse domus.  
Temporis at furias si quis consideret hulus,  
Abnueret Nymphis condoluisse nouem:  
Condolet Eridamus superanti flumine ripas,  
Condolet inflexis Sequana curuus aquis.  
Condolet ac Rhenus multarum rector aquarum,  
Sanguine dum crebro Teutonis ora fluit.  
Seminat Aleto discordes undiq; flammæ,  
Prælia quæ Musis perniciofa struunt.  
Desijt hinc Cytharæ Lesbæ gratia reddi,  
Sic neq; sub ferro, spretus Apollo fuit.  
Non inimica magis fulserunt sydera Musis,  
Donec Sol rutilos reddit & abdit equos.  
Vnde perit miseris Ecclesia fluctibus acta,  
Dissipat & sacras, impia turba Scholas.  
Deniq; quicquid habet totius machina mundi,  
Parca subactura mole fatigat atrox.  
Talia Pyrides ubi nuper damna uiderent,  
Mox ad Cimmerios signa dedere fugæ.  
Nempe tenebrôsæ penitus se dedere nocti,  
Sic suadente mala prosperitate, parant.  
Dumq; suum longè spectant Heliconæ uolantes,  
Hos referunt quondam se tenuisse lares.

Tristibus

Tristibus una sonis inter quas ora resoluit,  
 ( Si benè fama tulit, Calliopea fuit.  
 Ergò pro meritis nostris hæc fata luemus?  
 Ergò modus tanto nesciet esse malor?  
 Nulla sit ut rigidis interpellatio curis,  
 Vllò nec requie detur in orbe frui.  
 Hactenus evertit nobis domicilia Mauors,  
 Dilectæ sociæ spesnè relicta bonæ  
 Per mare, per scopulos, per deuia rura per urbes,  
 Expulsæ uariæ sede uagamur humi.  
 Donec inimus agros ad Balthica stagna uiuentes,  
 Hospitium placido qui tribuere loco.  
 Illic ( nulla manet sic plane tuta uoluptas )  
 Lætitia perijt non diuturna quies.  
 Pœonidum uolucres quia conuenere loquaces,  
 Belligeraturæ fraude struente minas.  
 Ah doleo ueteris reminisci funera stragis,  
 Cum quibus hic bellum gessimus acre diu.  
 Vnguibus extorres hæ nos fecere recuruis,  
 Vicerunt reprobis, non modulando dolis.  
 Hæccinè suscipimus pro magnis præmia donis?  
 Hæc nè datur Clarijs uictima digna focis?  
 Pro uarijs Lethesnè uorabimur artibus undæ  
 Barbaries floret, quas ubi nemo colit.  
 Vrbes auspicio nostro bene pace reguntur,  
 Commoda de nobis deniq; cuncta scatent.  
 Ecce labor tantus uentis absorptus & aura,  
 Pro meritis dandis, probra luemq; refert.  
 Nunt igitur celerando meæ properate Sorores.  
 Nos turbulent Stygij fauce uorante lacus.  
 Audijs hos questus, lamenta, precamina, luctum  
 Phœbus, & his lachrymis miscuit ille suas.  
 Tandem sic miseras solatur mente resumpta,  
 Dum fugat adductum nubila luce iubar.  
 Quid iuuat ò charæ consumere tempora fletus?  
 Præses ego uester suadeo, læta, uolo

Nos

Nos decet immuni uita moeroris ouare,  
 Gaudet ut in nido dulcis alauda suo.  
 Ne tamen ulterius tristi stupeatis agone,  
 Consilij dotes accipitote mei.  
 Est locus, Arctoas quàm te diffundis ad oras,  
 Istula Carpathijs exorunde iugis:  
 Vrbs ubi C V L M A iacet spatiosis moenibus ampla,  
 Montis in aprici conspicienda situ.  
 Istic prona sacros ostendunt fata penates,  
 Atria per quorum, pristina plectra sonent.  
 Istic noster honor, laus, gloria, stemma resurgunt,  
 Cyrraeis aris uiltima grata cadet.  
 Arca Parnasso quoq; floret amœnior alto,  
 Nos minus ut patriæ tangere cura queat.  
 Sole sub æstifero si quis spaciatur, amicum  
 Vnde uolat Boreas, Istula præbet iter.  
 Flumina sed quem non delectant, scandat in alta  
 Culmina, delicias Faune petulce tuas.  
 In quibus excipiet uolucrum cantusq; melosq;,  
 Vos Pandioniae quod cecinistis aues.  
 In quibus umbrosi tibi sunt Syluane recessus,  
 Quicquid & Arcadiae continet omne nemus.  
 Quem neq; lucorum tempe formosa focillant,  
 Plantatos hortos uisitet ille mihi.  
 Cernet odoratas herbas uariante colore.  
 Germina pulchra simul quæ medicina docet.  
 Cernet mirifico distinctaq; poma nitore.  
 Sentiat Alcides, hanc spoliabit humum.  
 Est aër saluber, nulli nociturus, in æstu  
 Siue nitet messis, siue remugit hyems.  
 Istic, adde, lares quod quondam fouimus, atra  
 Bella feris nondum cum strepuere tubis.  
 Ergo pares animo, rogo, maturate Camœnæ,  
 Vt subito dictos ingrediamur agros.  
 Omni namq; manet nos felix laude Senatus:  
 Venturis faciles porriget ille manus,

Vt

Vt quasi naufragij gratemur fauce redempti:  
 Dando Panompheo iusta trophæa Deo.  
 Castalides parent, ueniunt iamiamq; uolatu  
 Præpete sub muros C V L M A decora tuos.  
 Tacta places, placitamq; fouent, fotamq; coronant,  
 Inq; tuis campis libera plectra mouent.  
 Excipit Aonidas clarus grauitate Senatus,  
 Et lepidas sedes incoluisse iubet.  
 Inde recognoscunt antiqua theatra beatæ,  
 Sub quibus ipsarum floruit ante status:  
 Suauia dumq; metris synceris barbita plectunt,  
 Mitior ad cantus Istula factus ouat.  
 Iam reparant ueteris præclarum laudis honorem,  
 Felicesq; loco prosperiore uigent.  
 Latantur placido tranquilla per æquora portu,  
 Dirigit optatam rector Apollo ratem.  
 Vnde monent teneram diuina uoce iuuentam,  
 Vt citior rapidis aduolet illa Notis.  
 Doctorum quoniam sapiet monumenta sophorum,  
 Gloria, laus, splendor, quæ didicisse foret.  
 Ergo Deo mecum grates persoluite semper,  
 Sanctus amor ueræ quos pietatis habet.  
 Talem quod dederit summa bonitate Camænis,  
 Quas se sustineat concelebrare, locum.  
 Mundi C H R I S T E salus, hunc ne furiosius agmen,  
 Diruat, excubias tu speculator agas.  
 Omnia te iussè procedant auspice Musis,  
 Vt tuus in populis notior extet honor.

F I N I S.


DISTICHON NUMERALE, ANNUM  
 instaurationis ueteris Gymnasij Culmensis indicans,  
 Eiusdem auctoris.

Hoppius en Culma fit Rector in urbe Lycei,  
 Lauriger instruxit, qui tibi Phœbe Lyras.

Artg 658

X22A2A93

116



Q.K.  
515  
33

II g  
658

# FORMA VETE- RIS GYMNASII CVL- MENSIS RECENS IN STAVRATI.

AVTORE M. IOANNE HOPPIO  
eiusdem Gymnasij Rectore.



VRATISLAVIÆ IN OFFICINA  
Crispini Scharffenbergij.

ANNO  
M D LIIII.

Mense Julio.

*D. Johanni Rhodio Ziti Parenti suo dulcissimo  
Archigrammateo Schlackenaueri S. P. D.  
Sumpibus eximijis patris o dulcissime recti  
lunij studium meum favente, meum.  
ut potram huius Gymnasii in sub arces  
In quibus exhausi carmina mille miti.  
d. l. hunc patris pars ergo mittitur horum.*